

TABULA 677.

MUSA MACULATA.

HEXANDRIA MONOGYNIA. *PERS.*

POLYGAMIA MONOECIA. *WILLD.*

CHAR: ESSENT: *HERMAPHRODITUS*: Cal. spatha. Cor. 2-petala, altero erecto, 5-dentato; altero nectarifero, concavo, brevior. Filamenta 6, horum 5. perfecta. Stylus 1. Germen inferum, abortiens. — *HERMAPHRODITA*: Calyx, Corolla, Filamenta, Pistillum hermaphroditi, filamento unico perfecto. Bacca oblonga, triquetra, infera.

MUSA maculata: Spadice nutante, floribus masculis deciduis, spathis ovatis obtusiusculis, fructu oblongo. *LINNÉ Spec. Plantar. ed. Cur. WILLEN. Tom. II. p. 895.*

MUSA maculata: spadice nutante; spathis lanceolatis, acutis; foliis basi angustatis. v. *JACQ. Hort. Schönbr. Vol. IV. t. 446.*
Crescit in India orientali. 2.

CAUDEX teres, erectus, octopedalis, diametri biuncialis.

FOLIA petiolata, oblonga, obtusa, basi nec cordata nec obtusa sed in acumen successive angustata, integerrima, glabra, striis transversis et parallelis notata, subtus glaucescentia, duos cum dimidio pedes longa, et tunc in medio septem dumtaxat lata; petiolo innixa semipedali, digitum crasso, cum nervo medio antice canaliculato.

SPADIX cernuus. *Spathae* lanceolatae, acutae, concavae, striatulae, coriaceae, glabrae; foris ex sanguineo sordentes, intus multo pallidiores, plus minus tres uncias longae, unciam unam et paulo ultra latae, deciduae.

FLORES steriles caractere suo congruunt cum *Musa rosacea*. Haec discrimina sola nota. *Petalum* superius ex flavo pallet, magis tubulosum est, ut inferius fere totum includat.

STAMINA corollam non superant.

PISTILLUM: *Germen* brevius est. Haec species utraque vice omnes suos fructus maturavit; sunt pollicem crassi, duas uncias longi, obsolete trigoni, flavi maculisque ferrugineis dense variegati, carne albida ut in *Musa sapientum*, sed multo magis aromatica saporisque gratioris. v. *JACQ. l. c.*

Ramus florens naturali magnitudine.

1. Fructus maturus.